



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

166. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex epistola Siricij Papa.*Decreta Siricij c. 6.
Burchard. lib. 8. c. 29.

CLXIV. Impudicas detestabilisque personas (monachorum scilicet atque monacharum, quæ abjecto proposito sanctitatis illicita ac sacrilega contagione se miscuerint) à monasteriorum cœtu Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatinus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitundinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem saltim, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit subveniri.

De eadem re. *Ex epistola Gregorij Papa.*

Apud. Gratian. 27. q. 1. c. 15.

CLXV. Pervenit ad nos quòd quidam vir nequissimus diabolico instinctu de monasterio suaserit exire quandam Deo sacratam, atque à quodam viro, unde exierat, sit revocata, rursusque eam vir ille nequissimus iniqua suggestione de monasterio eiciens, apud se nunc illique retineat impudicè. Volumus autem tu episcopatus tui auctoritate in monasterium revocetur ac retrudatur.

De eadem re. *Ex epistola Gelasij Papa.*Decreta Gelasij c. 20.
Burchard. lib. 8. c. 32.

CLXVI. Virginibus sacris se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum propositum incesta fœdera sacrilegæque miscere. Quos protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam privatamque pœnitentiam non recipi. viaticum tamen de seculo exeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.